

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4889

Auteur(s) : Jean Roussel, écuyer, de Becthomas [autre]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1257, 27 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Jean Roussel, écuyer, charge Robert d'Alisay de payer aux religieux de Bonport 10 sous de rente sur une terre du Thuit-Signol.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXV, p. 217-218.

Texte établi d'après a

Noverint universi, ad quos presentes littere pervenerint, quod ego Johannes, armiger, dictus Roussel, de Becco Thome, assignavi et attornavi Robertum dictum d'Alisie, de Tuit Signol, hominem meum ad persolvendos decem solidos annui redditus, monete usualis, Deo et Beate Marie de Bono Portu et monachis ibidem Domino servientibus, quos dictus Robertus michi annuatim reddebat ad festum Beati Remigii de quadam pecia terre quam de me, jure hereditario, possidebat, sitam in parrochia de Tuit Signol, inter terram Nicholai d'Alisie, ex una parte, et terram Radulfi Olivier, ex altera ; tenendos et habendos predictos decem solidos annui redditus dictis monachis, usque ad spacium sex annorum, termino incipiente, in festo Beati Remigii, anno Domini M° CC° L° septimo, tali condicione quod ego Jehannes Roussel infra dictum terminum debeo emere dictis monachis in suo feodo vel alibi decem solidos annui redditus, secundum quod eisdem melius videbitur expedire, aut persolvere centum solidos turonensium eisdem si malluero ad dictum redditum comparandum. Si vero ita accideret quod ego jamdictus Johannes infra dictum terminum eisdem monachis de predictis decem solidis annui redditus non providerem, vel de centum solidis non satisfacerem, volo et concedo quod dicti monachi habeant ac jure hereditario possideant antedictum redditum in perpetuum absque ulla mei vel heredum meorum reclamacione, salvo jure domini capitalis. Volo eciam quod habeant talem justiciam super dictum hominem qualem in ipsum habeo pro redditu et emenda. In cujus rei testimonium, presentes litteras eisdem monachis tradidi sigilli mei munimine confirmatas. Actum anno Domini M° CC° L° VII°, mense junii, die mercurii post festum Beati Johannis Baptiste. Hujus rei sunt testes : Guillelmus de Tuit, miles ; Reginaldus Tanquers, miles ; Robertus Doulle, de Sancto Petro de Sarqueus ; Robertus d'Alisie et plures alii.